

DISSERTATIO PHILOLOGICA  
DE  
PARALLELISMO MEMBRORUM  
HEBRÆIS USITATO,

QUAM

*Conf. Ampl. Facult. Philos. Aboënsis,*

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT

GABRIEL HIRN,

*L.L. O.O. Docens.*

ET

CAROLUS AUGUSTUS GRUNÉR,

*Stip. Bilmark. Borea-Fenno.*

In Auditorio Medico die VII Martii MDCCCXII.


Horis a. m. convetis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

*75. May. 1910*





**I**nterpres quisque curæ cordique id habeat, ut stili characterem, cujusque quem interpretabitur auctoris proprium, familiarem sibi reddat, quo sic quidem, translaturus, sensuum auctoris quasi imaginem, qua decet accuratione, lectoribus tradere possit; alias enim æque imprudenter agit ac is, qui herbam e solo suo natali in locum transfert ineptum, eaque ratione illam aut viribus virtutibusque suis privat, aut penitus suffocat. Quod vero quam difficile sit opus, haud negabit, qui perspectum sibi habuerit, varias linguas, varia habere, ut intellectu difficilia, ita interpretatu difficillima, idiomata. Inanem igitur adhibuisse videntur laborem Interpretes, qui Poëmata Orientalium ad formam Occidentalium exigere, moresque eorum nostris comparare allaborarunt.

A

Ne-

Neminem enim fugit, maximam intercedere differentiam inter populos Orientales & Occidentales, eamque, in diversis eorum de Summo Numine conceptibus, in diversa de officiis doctrina, in diversa regiminis forma, in diversis moribus atque ritibus, in diversa vivendi ratione, in diversis ejusque gentis fati, in diversitate climatis & soli, in ipsius linguæ diversitate, & quæ sunt cetera, optime cerni. Hinc variæ istæ locutiones Orientalium, quibus Deum quasi patremfamilias, omnia eorum fata vel minima cognoscentem, dirigentem eorumque participem, lugentem, pœnitentem, sinxerunt: hinc crudelitas illa contra inimicos sanguinolenta & a nostris, lenioribus, moribus aliena: hinc idea Dei tanquam tyranni ferocissimi, e. s. p. Climatis vero & linguarum diversitas, quantum efficiat, nemo rem penitus considerans, inficias iverit. Vividius nempe pingunt Orientales, audaciusque phantasia eorum agit; cum contra Occidentalium lento gradu, vi æquabili, incedat oratio. Præter hanc autem diversitatem inter populos varias cœli plagas incolentes, variisque linguis utentes, observare quoque liceat, suam cuique ætati esse indolem, ita ut debilem culturæ infantiam facili discernere possimus negotio a juvenili ejus ætate, hanc vero, audacem jam atque altiora petentem, a virili, summum culturæ fastigium tenente, ætate, & denique decreescentem culturam, senio con-

confectum, pristini vigoris tantummodo memorem, referentem. Quo minus enim exulta fuerit gens quædam, eo magis affectibus vehementissimis abundat & sermo & Poësis ejus: abstractis caret & ideis & vocabulis: *ονομαστοπεποιημενοις* utitur: res materiales, sentientes, agentes & loquentes inducit; accedente autem cultura, difficiliorem induit lingua naturam, Poësi minime aptam.

Poësin vero Hebræam accuratius considerantes, non quidem statuere audemus, eam exactissime a nobis cognosci posse; firmo tamen semper stabit talo, Hebræos, versus suos ad certas atque definitas leges ordinasse, ita ut periodi periodis, membra membris responderent. Singulare autem est, quod observant Interpretes inprimis recentiores a), poëtas Hebræos (æque ac ceteros Orientales), bis vel sæpius eandem inculcare sententiam, mutatis tantummodo verbis. Hanc vero convenientiam vel pugnam inter partes cujusque sententiæ enuntiatae, qua periodi periodis, membra membris respondent, vocamus

A 2

mus

---

a) Veterum saltem non omnes sibi persuasum habuerunt, Parallelismum membrorum, utpote sapientiæ Spiritus Sancti repugnantem, existere. Cfr. MICHAËLIS *Epimeton* in LOWTH *de Sacra Poësi Hebræorum* p. 392. & MEYER *Versuch einer Hermeneutik des Alten Testaments*, II, Theil p. 352. Lübeck 1800.

*mus Parallelismum membrorum.* Cum autem inter adminicula hermeneutica, quorum ope libros Poëticos Veteris Testamenti recte interpretabimur, maximi momenti sit Parallelismus; observationes quasdam de *Parallelismo membrorum*, Specimine hœc Academiae proponere conabor, mitiorem Lectorum & petens & expectans censuram.

§. I.

Fuerunt, qui dicerent, Parallelismum membrorum, non solum legibus repugnare Æstheticis, sed absolum omnino esse perpetua sua tautologia. Ignorant autem hi, eam esse animi humani affectibus vehementer agitati indolem, ut non contentus sit, semel aut unico verbo sensa sua exprimere, verum ardore suo impellatur ad sententiam eandem, mutatis tantummodo verbis atque loquendi formulis, bis vel sæpius proferendam, similiter ac spirante Aquilone, undam supervenit unda maris turbidi. Repetitio autem ista ejusdem sententiæ in membro posteriori, qualis in hymnis Hebræorum Sacris, qui alternis ut plurimum choris invicem canebantur, præcipue obtinet, est quasi responsum amici, quo alterum certiore facit, se participem esse ejus sensuum. Scandit oratio, elevatur ac confirmatur iteratione sensuum. In operibus

bus ex. gr. aut mandatis Dei, in præceptis Regum, quam grandis, quam sublimis evadit Oratio membrorum parallelismo. Unicum afferam exemplum: Gen. I: 3.

"Et dixit Deus, fiat lux:"

"& facta est lux."

Nihil hoc sublimius, nihil summo Numine dignius, Quam langvida e contrario esset sententia sublato hocce Parallelismo, si diceremus: & facta est lux, postquam Deus præceperat illam fieri *b*). Nec Hebræi solummodo hanc ἀντιφωνον ὑμνωδιαν adamarunt; habuerunt quippe Græci strophos & antistrophos. Inprimis autem memoratu dignum est, Fenno, utpote linguæ structura Hebræis simillimos *c*), etiam in suis poematibus uti Parallelismo hocce membrorum *d*). Originem autem hujus Parallelismi apud Fen-

Fen-

---

*b*) Cfr. HERDER *Geist der Ebräischn Poesie* Th. I.

*c*) Cfr. Dissertationem patris mei D. HIRN, quæ inscribitur: "*Observationes quædam in Versionem Sacrorum Bibliorum Fennicam, exemplis ex Propheta Jesaia illustrata,*" Aboæ 1774, inprimis §. II.

*d*) ex. gr. Tuonelan on tämä tupa.  
Kalman kamala kamari  
Tämä Tuoni temmattuola  
Kuolemalta kouristetut,  
Tyyntä kätki ja kokoli;

---

Fennos eam esse scimus, quod duorum amicorum,  
qui manibus prehenfis sedent, alter *Cantator* (laulaja)  
fen-

---

Katso tänne kammioon,  
Katto luitten-karhuahan:  
Luut näet Epä lukufet,  
Jäsenitä jäänöxiä,  
Päitä paljonin koofa;  
Mutt' eit tiedä entinkänä  
Kuk' on ollut kunniafa?  
Kuk' on käynyt kerjäläisnä?  
Kaikki Tuoni kaatoi tänne,  
Lyckäis yhtehen lylybyn  
Sekä pienet, että luuret.

---

Mene matkahas, vaella,  
Ihmis raukka raadollinen,  
Muilta aina mieleläsi,  
Että kerran kuoltuasi  
Tuonen tuletin tupahan!  
Koskas mullaxi murenet,  
Maaxi mullaxi mätänet,  
Koska madot mattelevat  
Roukkioihin ruumifanli.

---

Me, me, kuin tälä makaamme  
Me olimma myös muinan niju  
Tervehet ja toimellifet  
Taitavat ja työn-tekvät  
Ynfiät ja ylpiätkin



sententiam prior proferre, alter vero *Responsor* (puol-  
taja e), sententiam confirmare aut amplificare so-  
let f). Nihil vero impedit quo minus eadem fere  
fue-

---

Samojn juuri kuin sinäkin,  
Mutta, katso, kammioomme,  
Jo, muuttu meidän menomme  
Kaikin mullala makaamme,

---

Wielä toki virkoavan  
Tämän toivomme tomumme  
Wihdoin vielä vijmeifeldä  
Herran tulles Tuomiolle!

---

Hanc Runam cui titulus: *Kirjoitus Luu karsinan yli*, in-  
venies in CHRIST. GANANDER *Runo Kirja*, Wæ 1786.  
p. 29.

- e) Ad sensum verbalem: *auxiliator*, qui partes alterius su-  
stinet.
- f) Cfr. Cel. PORTHAN de *Poësi Fennica* P. I. §. 5. p. 17 &c.,  
& *Voyage Pittoresque au Cap Nord* par A. F. SKÖLDE-  
BRAND Cahier I. planche VII, a Stockholm MDCCCL. ad-  
quam Tabulam explicandam hæc addit: "Les figures sur  
le devant de l'estampe sont deux payfans qui chantent  
une *Runa*. En se tenant les deux mains selon l'usage,  
ils se courbent & se redressent tour a tour & chantent  
les vers alternativement seuls & en duo; mais toujours  
a l'unisson.

fuerit ratio apud Hebræos, eorumque Poëtæ suos habuerint responsores g).

§. II.

Nos quidem non latet, *Parallelismum membrorum* multos habere gradus & variationes, Poëtæque Hebræos in usu *eiusdem* interdum esse accuratiores, interdum solutiores, interdum apertiores, interdum obscuriores: At in *tres* tamen Classes commode dispescitur: nim. in Parallelismum SYNONYMICUM, ANTI-THETICUM & SYNTACTICUM. *Illo* intelligimus Parallelismum, ubi eadem sententia, vel tota, vel qua partem recurrit verbis expressa synonymis. *Isto*, ubi oppositum quoddam sententiæ priori in altero occurrit hemistichio. *Hoc* autem similitudinem quandam quoad formam & constructionem grammaticam, intelligimus. Quæ vero, quo erunt clariora, exempla afferam cujusque Classis, quæ suas habet species.

*Classis primæ* simplicissima hæc est forma, ubi verbum verbo, sententia sententiæ respondet absque ulla repetitione aut Ellipfi, ex, gr.

Pf. II: I.

---

g) Cfr. Ezræ III; 11.

Pf. II: 1. "Quamobrem tumultuantur *h)* gentes:  
et nationes meditantur *i)* inania."

v. 2. "Insurgunt *k)* Reges terræ,  
et principes consultant una  
adversus Jehovam

& adversus unctum ejus."

v. 3. "Rumpamus vincula *l)* eorum,  
atque abjiciamus a nobis funes eorum."

v. 4. "Qui sedet in cælo ridet *m)*:  
dominus illudit eis."

B

v. 5.

---

*h)* Arabum *جس* tonuit *calum concussumque fuit cum valido fragore*, uprimis de barîu cameli vehementiore, strepituque ac fremitu maris usurpatur. Syris etiam *عس* cum suis derivatis *strepitum, fragorem, fremitum* denotat. Præterea Arab. *جج* & Hebr. *רג* *commovit se, agitavit spec. cum fragore, consulenda sunt.*

*i)* רגה (coll. Arab. *عج* & Syr. *عج*) *assuavit, cogitavit.*

*k)* יצב, *statuit, in Kal iuuf., Hitph. sedit se, constitit.*

*l)* מוסרות & ענות h. l. imperii esse imagines, per se patet.

*m)* Cfr. Arab. *عج* *reniduit, hilavis fuit, risit.* לעב *balbutiit, balbutientem imitavit, subsannavit.*

v. 5. "Mox alloquetur eos in ira sua,  
atque in excandescencia sua confternabit n) eos."  
v. 10. "Jam igitur o Reges sapite o):  
corrigi vos patimini p), dominatores terræ!"  
v. 11. "Servite Jehovæ cum reverentia:  
& colite q) eum sancta religione."  
Pf. XXXVII: 1. "Ne indigneris de maleficis:  
ne invidias r) iis, qui injuste faciunt."

v. 2.

- 
- n) כָּדָה kab inus. notionem habet præcipitis & confusæ  
motus cfr. Arab. كَهَّ *quasavit*.
- o) כָּוַח idem ac Arab. كَوَّن *ligavit, plexuit*; verba vero  
ligandi & firmandi cum transferant Orientales ad mentem  
robore & prudentia ornatam; hinc *prudens fuit, pruden-*  
*ter egit*.
- p) יָסַר *exacuit, erudivit, constrinxit*.
- q) גָּל coll. Arab. جَلَّ *timuit* ex permutatione verborum  
læ radicalis Jod & med. Rad. Vau quiesc. linguis Orien-  
talibus solenni; vel potius r. جَلَّ *volvuit,volvendo rotavit,*  
*intrans. in orbem convolutus est*, unde: *obivit, circumvivit,*  
v. gr. *principem* (h. e. veneratus est), quod quidem de  
apparitoribus principum Orientalium bene valet, qui in  
orbe eos in throno sedentes, circumdabant. Cfr. HERDER  
l. c. 2 Th. p. 399.
- r) Cfr. Arab. قَات *valde rubuit, inde Hebræis amulatus est,*  
*Zelavit, invidit &c.*

v. 2. "Nam sicuti gramin cito flaccescunt s),  
et sicut viridis herba marcedi corruunt."

Prov. IV: 14. "Semitam impiorum ne ingrediare:  
neque incede in via malorum."

Prov. XXIII: 24. "Summopere gaudebit t) pater  
justi:  
generans sapientem, lætabitur eo."

Jes. XXVIII: 23. "Aures advertite & audite vocem  
meam:  
auscultate atque attendite sermonem meum."

Sæpissime duo tantum adhibentur synonyma.  
Habemus tamen exempla, ubi ter & sæpius eadem,  
verbis synonymis expressa, recurrit sententia.

Jes. I: 4. "Væ genti peccatrici,  
populo gravi iniquitate,  
progeniei maleficæ,  
natis reprobis!  
dereliquerunt Jehovam,

B 2

spre-

---

s) r. מלל (cfr. Arab. <sup>ع</sup>ج *asluavit, cineribus calidis aut pru-  
nis supposuit coquendum panem*) exaruit. Cfr. Job, XIV:  
2, XXIV: 24, Pl. XC: 6 & SCHULTENSI Orig. Hebr. p.  
203 sq. LXX h. 1. habent ἀπεξηρανθησαν Syrus <sup>ع</sup>ج  
vertit.

t) גַּל יִגַּל *gaudeudo gaudebit* i. e. summopere gaudebit,

spreverunt sanctum Israëlis  
recesserunt retrorsum."

Jes. XIX: 8. "Piscatores moerent:  
lugent qui hamum projiciunt in flumen,  
qui retia *u*) pandunt super facies aquarum deficiunt."  
Pf. CVI: 5. "Ut lætus videam felicitatem electorum  
tuorum:

ut læter lætitia gentis tuæ:  
ut beatum me prædicem cum peculio tuo."

Interdum habemus Parallelismum, ubi prior  
sententia, vel tota vel qua partem repetitur *v*), ex. gr.

Pf. LVI: 11. "Deum laudabo ob promissa sua:  
Jehovam laudabo ob promissa sua."

Pf. LXVII: 6. "Gratias tibi agant populi, o! Deus:  
gratias tibi agant populi omnes!"

Pf. XLVI: 11. "Desistite *x*) atque agnoscite quod e-  
go sim Deus;

ex-

---

*u*) r. Chald. ܕܘܨܘܢ *conclufit* cfr. CASTELLI Lexicon Hepta-  
glotton.

*v*) Ufstatissimum quoque est apud Fennos, totam repetere  
sententiam, ut demonstrent exempla a Cel. PORTHAN I.  
c. allata.

*x*) Sc. a conatibus vestris contra populum meum. — Est  
hic versus tricolon, ubi impar membrum sententiam  
inchoat.

excelsus sum inter gentes:

excelsus per orbem terrarum.”

Pf. XC: 17. ”Fueatur nos favor Domini Dei nostri!

Inceptis nostris prosperos largiatur successus:

Incep is nostris prosperos largiatur successus!

Pf. XCIII: 3. ”Edant flumina o! Jehova:

Edant flumina sonitum suum:

Edant flumina fragorem y) suum.”

Repetitur quoque eadem sententia, interjectis aliis sententiis ex. gr.

Pf. LXXX: 4, 8, 20. ubi hæc verba occurrunt:

”O! Jehova, Deus universi! recrea nos,  
atque serena vultum tuum, ut salvi simus.”

Pf. CXXXVI, ubi laudes Dei & præclara ejus facta exponit Hieropsaltes, habemus hæc, verba in posteriore membro cujusque versus:

”nam æterna est ejus benignitas.”

Interdum habemus *Ellipsin* in membro posteriore, ubi sensus itaque e membro priore supplendus est, ex. gr.

. Pf

---

y) Coll. Arab. *كس* contudit, Hebr. *כרס* illisio, contusio, sonus rei illisæ, fragor. Validos hostium impetus, hac similitudine adumbrare solent Pœtæ.

Pf. LXXI: 8. "Plenum erit os meum tua laude:  
quovis die, gloria tua."

v. 15. "Os meum prædicabit beneficia tua,  
quovis die tuum auxilium."

Pf. LXXII: 3. "Nuntiabunt z) montes pacem po-  
pulo:

& colles justitiam" a).

Pf. LXXIII: 1, "Profecto salutaris est Deus Israël;  
puris corde."

Ad hanc speciem quoque referrem, ubi totum  
membrum posterius parti cuidam membri prioris re-  
spoodet, ex. gr.

Pf. XCVII: 1. "Jehova regnat: exultet terra!  
lætentur maritimæ regiones b) amplissimæ!"

Pf. C: 5. "Nam bonus est Jehova, æternaque est e-  
jus benignitas:  
per omnia sæcula fides ejus (sibi constat)."

In

---

z) Suppl.  $\text{לִּפְנֵי}$  ut Ef. III: 7. coll. Ef. XL: 9.

a)  $\text{וְ}$  redundat uti sæpius, cfr. Pf. LXVIII: 5.

b)  $\text{בְּיָם}$  proprie: *regiones habitatae*, in specie: *regiones ma-  
ritimæ*, in sequiori Hebraismo *insulae*: cfr. Arab.  $\text{بَوِي}$   
pr. *flexit, inflexus fuit, recepit se commorandi gratia, no-  
spitio exceptit.*



In tricolis tres lineæ cohærent, quamvis raro ultra duo contineant parallela synonyma; membrum vero impar periodum vel inchoat vel concludit, ex. gr.

Pf. CXXIII: 2. "Ecce quemadmodum oculi fervorum  
in manum dominorum suorum <sup>c)</sup>:

quemadmodum oculi ancillæ in manum heræ suæ;  
Sic oculi nostri in Jehovam Deum nostrum intenti  
sunt, donec misereatur nostri."

Jes. II: 11. "Supercilia enim hominum deprimentur;  
fastus mortalium deturbabitur;  
tum Jehova solus eminebit."

Pf. LXXVII: 20. "Per mare erat via tua;  
atque semita tua, per aquas vastas,  
neque vestigia tua noscebantur."

Pf. XLVI: 11. videtis p. 12. ubi membrum impar periodum inchoat.

Habemus quoque parallela quattuor linearum, ubi strophæ conjunctiōe quadam verborum & sententiarum cohærent, ex. gr.

Pf. C: 4. "Ingredimini portas ejus cum gratiarum  
actione,  
atria ejus cum laudatione:

gra-

---

<sup>c)</sup> i. e. in dominos suos, vel quo mitiores sint domini in puniēdo, vel quo alimentum & præsidium obtineant.

gratias agite ei,  
celebrate nomen ejus.”

Jes. I: 3. Cognoscit bos possessorem suum,  
& asinus præsepe domini sui;  
Israëli nihil novit,  
populus meus nihil intelligit.”

Jes. II: 10. “Fuge in rupes;  
absconde te sub terra *d*),  
præ pavore Jehovæ  
præ insigni ejus majestate.”

In tetracolis quam sæpissime alternant sensus,  
ita ut prima linea tertiæ, & secunda quartæ sit sy-  
nonyma, aut saltem conferenda, ex. gr.

Pf. CIV: 28. “Præbes ipsis;  
colligunt:

aperis manum tuam,  
faciantur bonis.”

v. 32. “adspicit terram,  
& tremit:

tangit montes,  
& fumant.”

Pf. CXXVII: 1. “Nisi Jehova ædificaverit domum;  
frustra laborant structores ejus in ea:

Nisi

---

*d*) במחלת עפר h. l. idem quod v. 19. plenius: במחלת עפר, ex-  
primitur.

Nisi Jehova custodierit urbem;  
frustra vigilant custodes.”

Jes. XVII: 12. “O! strepitum e) numerosi populi,  
ceu maris strepunt fluctus!

O! murmur nationum,  
ceu vehementer murmurant undæ.”

In his quidem exemplis alternant sensus: in sequentibus vero, alternat constructionis forma f):

Jes. XLIX: 2. ”Posuit autem os meum sicut gladium  
acutum g),

in umbra manus suæ abscondidit me:

posuitque me in sagittam cuspidatam;

in pharetra sua occultavit me.“

Jes. II: 7. “Et plena est terra ejus argento & auro,  
& nullus est modus ejus thesauris:

& plena est terra ejus equis,

nec ulus est modus ejus curribus.“

C

Sunt

---

e) Clr. Arab. هُي fluxit, manavit.

f) Ad classem Syntacticam itaque referrem; tamen hic observantur, quoniam in Classe Syntactica distinctionem in tricola &c. omisimus.

g) His verbis auctoritas indicatur Prophetæ ad vitia reprehendenda similiter ac verbis tertix strophæ; secunda autem & quarta linea divinam protectionem in munere suo exercendo, indigitat.

Sunt quoque pentacola, in quibus membrum impar, aut inter, aut post ambo disticha occurrit.

Jes. I: 17. "Probe agere asfuescite,  
æquitati studete,  
emendate corruptum *h*):  
pupillo jus dicite,  
viduæ causam agite."

v. 18. "Agedum venite! disceptemus inter nos! ait  
Jehova:

Si peccata vestra fuerint sicut dibapha *i*),  
instar nivis albescent:

¶

---

*h*) Retenta significatione primaria vocis רֶשֶׁן, non est, cur deferamus vulgarem *fermentati* h. e. *moribus corrupti* significatum vocis רֶשֶׁן (cf. Arab. رَسَّ acidus fuit), quamvis Veteres per *oppressum*, hanc vocem explicarunt. Haud tamen urgemus, ineptum fore sensum, si ita hæc verba reddideris: *beatum reddite oppressum* vel ut habent LXX: *ἔσασθε ἀδικούμενον*, h. e. *oppresso succurrite*.

*i*) ROSENMÜLLERUS in Scholiis ad h. l. vulgarem hanc versionem prorsus rejiciendam putat, ob testimonium PLINII in *Hist. Nat.*, Lib. IX, Cap. 59. §. 16, atque vocabulum

רֶשֶׁן derivandum censet a רֶשֶׁן *splenduit*, ob splendorem purpuræ ruborem. Quæ vero quomodocunque fuerint, per se tamen patet, *peccata vel gravissima* h. l. intelligi.

si rubra fuerint instar coccini,  
tanquam lana (alba) fient."

Jes. V: 5. "Jam intelligere vos velim, quid sum fa-  
cturus huic vineæ:

sepem ejus tollam,  
ut depascatur,  
murum ejus diruam,  
ut conculcetur."

Jes. IV: 1. "Tum arripient septem mulieres virum  
unum, eumque compellabunt:

pane nostro vescemur,  
& vestibus nostris amiciemur:  
da tantum nomen connubii,  
quo opprobrium nostrum a nobis auferatur."

Uterius habemus parallela *fix* linearum, quo-  
rum exempla etiam afferre lubet.

Jes. I: 23. "Principes tui malefici sunt *k*),  
furumque socii:

omnes appetunt munera,  
& insectantur retributiones:  
pupillorum causas negligunt,  
& viduarum lites non admittunt."

C 2

Jes.

---

*k*) מרורים h. l. non sunt *refractarii*, ut vulgo reddunt; sed  
*malefici*, quia Arab. *مَرَسٌ* *malus fuit, malum fecit.*

Jes. II: 4. "Nationes judicabit,  
& inter populos multos, lites componet l):  
E gladiis suis cudent vomeres,  
hastasque suas constabunt in falces:  
Neque enim gentes sibi invicem arma inferent,  
nec amplius artes bellicas exercebunt."

Jes. V: 20. "Væ iis qui reproba probant,  
proba reprobant,  
qui tenebras in lucem,  
& lucem in tenebras convertunt,  
qui mutant amarum in dulce,  
& dulce in amarum."

v. 24. Quare ut lambens ignis stipulam consumit,  
& flamma herbam m) conficit,  
ita stirps illorum hominum in pulverem redigetur,  
eorumque propago quasi cinis evolabit,  
quia legem Dei omnipotentis contemserunt,  
& dicta Dei Israëlis spreverunt."

Jes. IX: 16. "Propterea neque juvenibus ejus par-  
cet n),  
nec

---

l) יָדָה h. l. de disquisitione judiciaria, non de disciplina iis tradenda, usurpatur.

m) שֶׁשׁוּב est fanum coll. حَشِيشٌ herba siccor, fanum.

n) שָׁמַח vulgo gavisus est; sed coll. Arab. سَمَّحٌ glaber, enodis, facilis fuit & Metaph. beneficis, liberalis & faci-

nec pupillorum & viduarum ejus miserebitur;  
nam omnes improbi & nefarii sunt,  
& impie loquuntur:  
neque tamen remittit iram suam,  
sed dextram minacem adhuc protendit.\*

Rariora sunt *Heptacola*; exemplum tamen hujus  
speciei afferam:

Jes. II: 3. "Plurimæ nationes accedent & dicent:  
Age prolificamur ad montem Jehovæ,  
Ad templum Dei Jacobitarum,  
ut edoceat nos de viis suis,  
& nos incedamus semitis ejus:  
Nam ex Zione egreditur lex,  
ex Hierosolymis Jehovæ disciplina."

Has vero ultimas species, affectus vehementis-  
simos prodere, totamque hanc Classem, plus artis  
habere ac ceteræ, nemo non videt.

### §. III.

*Parallelismus Antitheticus* secundam constituit  
classem, ubi versiculi ita cohærent, ut oppositum  
cer-

---

*lis ac clemens fuit, notio parcendi h. l. præferenda vi-  
detur.*

cernatur vel inter verba singula vel inter cogitata o). Sed observandum quoque est in hac classe Parallelismi, scriptores adhibuisse Antithesin vel magis vel minus accuratam; sæpe enim singula verba singulis, aut bina binis, vel unum tantummodo uni respondet. Exempla hujus Classis uberrima nobis præbent Proverbia Salomonis, ubi hocce, sententiarum luminibus distinctum, dicendi genus inprimis adhibetur. Sic ex. gr.

Prov. X: 1. non solum sententia sententiæ, sed etiam verbum verbo opponitur:

"Filius sapiens lætificat patrem;  
filius stultus mœstitia est matris suæ."

Prov. VI: 20. "Serva mi fili præceptum patris tui:  
nec deferas legem matris tuæ."

In utroque tamen hemistichio eadem manet sententia, quamvis sibi opponantur verba singula.

Prov.

o) Interdum latet ambiguitas, unde *ænigmata*, ad intellectum rudiorum hominum acuendum aptissima & propterea in conviviis eorum sæpe adhibita, ex. gr.

Jud. XIV: 14. "Ex edaci prodiit edulium  
atque ex acri prodiit dulcedo."

Hic jam Antithesis cernitur inter *edax* & *edulium*, inter *acer* & *dulcedo*.



Prov. X: 29. "Munimentum integro est doctrina p)  
Jehovæ,

sed terror operantibus iniquitatem."

Prov. XV: 1. "Responsum blandum avertit iram,  
oratio vero aspera iram excitat."

v. 2. "Lingua sapientum amabilem reddit scientiam;  
sed os stultorum q) effundit r) stultitiam."

Prov. XV: 18. "Vir iracundus excitat lites:  
sed tardus ad iram s) eas componit."

Prov. XI: 1. "Lances t) fallaces abominatur Jehovah:  
sed pondus u) justum ei placet."

Interdum habemus contrapositionem partium in-  
ter se, ita ut alternatim sumantur verba, ex. gr.

Cant.

p) יהיה ררך הדיה haud raro in V. T. de Religione veri Dei di-  
citur ex. gr. Gen. XVIII: 19, pariter ac *odós kugíou* in N.  
T. ex. gr. Act, XIX: 9, 25.

q) Cfr. Arab. *سكس* spissatus fuit, torpuit.

r) נבע pr. de fonte: scaturivit, ebullit.

s) Similiter ארך ריח longus spiritu, longanimis Eccles.  
VII: 8.

t) Cfr. Arab. *سفت* ponderavit, libravit.

u) נבן pr. lapis, deinde pondus libræ e lapide factum.

Cant. I: 5. Nigra sum, sed tamen pulchra o! Hiero-  
folymitides;  
sicut tentoria Kedarensium, sicut aulae Salomonis."

Ut jam antea monuimus, antithesibus abundant  
Proverbia Salomonis; adhibentur tamen in Poëmati-  
bus sublimioris argumenti, ex. gr.

1 Sam. II: 4-7. v) "Arcus fortium conteruntur,  
& qui lapsi sunt accinguntur robore;  
Saturi ob victum operam suam locant;  
& famelici ab opere cessant;  
etiam sterilis septies peperit;  
& quæ abundarat liberis, orba est.  
Jehova neci dat, & vitæ restituit,  
Dejecit in orcum, & educit.  
Jehova de pauperat x), & ditat;  
deprimit, idemque evehit."

Pf. XX: 8, 9. y) "Alii curribus, alii equis;  
nos vero nomine Jehovæ Dei nostri gloriamur:

Isti

v) Cfr. Luc. I: 52, 53, ubi Hymnus Mariæ.

x)  $\Psi\text{ן}$  possedit, occupavit, in Hiph. expulit ex possessione,  
petita significatione a verbo  $\Psi\text{ן}$  egere, pauper esse vel  
fieri, depauperari.

y) Cfr. Hor. Carm. L. I: Od. I v. 3.

"Sunt quos curriculo pulverem Olympicum,  
Collegisse juvat" &c. — Cernitur in hoc versu Antithesis  
inter cogitata.

Isti incurvantur & cadunt;  
nos vero stamus & erectos nos sustinemus &)."

Pl. XXX: 6. "Ad exiguum tempus durat ira ejus,  
semper vero ejus benevolentia:  
vesperi diversatur sletus;  
mane vero jubilum."

Pl. CXXVI: 5, 6. "Qui serunt cum lacrymis,  
cum júbilo metunt!

ambulat flens, qui portat saccum a) feminis:  
redit vero cum júbilo portans mergites (messis tū-  
berrimæ)."

D

Jes.

---

z) Cfr. Pl. CXLVI: 9. & CXLVII: 6.

a) Cfr. Arab. *Ḥam' corium*. Confundit ROS MÜLLERUS in Scholiis ad h. 1, *Ḥam' corium* Amol. IX: 15, & quoniam posteriore loco inepta est notio *sacci*, jam colligit, illam notionem neque nostro loco, "licet *sacci* notio congruat," probandam esse. Saccos vero corio confectos, apud Orientales in usu esse, testimonio Itinerariorum patet, ex. gr. NISBUHR *Beschreibung von Arabien* (Kopenhagen 1772) Præfat. p. XXXVII, & AGRELL *Bref om Marocco* p. 86, 87 & 88. Mustum quoque in saccis corio confectis conservari testantur nautæ, unde denominatio illa *Mahaga Säck*, quoniam saccis demandatur e coriis animalium confectis optimum hujus generis vinum. — Levem adderem conjecturam, sagacioribus diducendam: existimaverim nempe, denominationem vocis *Ḥam' muscus*;

Jes. LXV: 13, 14. "Propterea sic dixit Dominus Jehova:

Ecce cultores mei edent;  
vos autem esurietis:  
Ecce cultores mei bibent,  
vos autem sitietis:  
Ecce cultores mei lætabuntur;  
vos autem pudescietis.  
Ecce cultores mei jubilabunt præ lætitia animi,  
vos autem clamabitis præ dolore cordis,  
& præ mentis cruciatu ejulabitis."

Interdum cœlum & terra quasi sibi relata opponuntur, ex. gr.

Jes. I: 2. "Audi cœlum!  
auribus percipe terra!" &c.

Haud raro Proceres cum Plebejis relate compellantur, ex. gr.

Pf. XLIX: 2, 3. "Audite hoc omnes populi!  
attendite omnes mundi incolæ!

Tum

---

originem ducere suam, a sacco illo, qui continet pretiosum hocce odoramenti genus. Quod si autem saccus ille <sup>Saco</sup> *שֶׁמֶן* appellaretur, nullus dubitarem, quin & *שֶׁמֶן* apud Hebræos saccum significaret. Nec abludit hic sonus a Hebræorum *שֶׁן*, Græcorum *σακκος*, Latinorum *saccus* & Rusforum *Мѣшокъ* (*meschok*),

Tum homines plebeji, tum nobiles!  
pariter divites ac pauperes!"

Ad classem Antitheticam quoque referrem, ubi  
obsequium mandato respondet, ex. gr.

Gen. I: 3, antea jam observato:

"Et dixit Deus: fiat lux!

& facta est lux."

Pf. CXLVIII: 5. "Laudent nomen Jehovæ!

namque jusfit,

& creata sunt."

§. IV.

Tertia Classis Parallelismi est *Syntactica*, ubi verba nec sunt synonyma, nec antithetica, sed compositione sua ita coherant, ut nomen nomini, verbum verbo, negatio negationi, quaestio quaestioni, membrum membro respondeat. Ad hanc classem itaque referri debent, quæ ad duas priores non pertinent. Nec desunt exempla quamplurima hujus classis, quamvis infinita fere sit formarum varietas, ex. gr,

Pf. XIX: 8. "Lex Jehovæ est perfecta;

recreat animum:

disciplina Jehovæ est vera;

sapientia instruit imperitum."

v. 9. Præcepta Jehovæ recta sunt;

D 2

ex-

exhilarant animum:

præceptum Jehovæ purum est,  
ferenat oculos."

v. 10. Religio Jehovæ pura est;  
constans in æternum:

Edicta Jehovæ vera sunt;  
iusta sunt univërfa."

Pf. CXXVIII: 3. "Uxor tua erit instar vitis frugife-  
ræ ad latera domus tuæ:

liberi, ut plantæ olivarum circa mensam tuam."

Pf. XLIV: 18. "Hæc omnia nobis eveniunt,  
neque tamen tui obliti sumus,  
neque fœdus tuum violavimus."

v. 19. "Non cessit retrorsum cor nostrum:  
nec declinavit gressus a semita tua."

v. 21. "Si obliti essemus nominis Dei nostri:  
aut expandissemus manus nostras ad Deum alle-  
num &c."

Pf. XCIV: 9, "Qui efforavit aurem, annon audiret?  
qui formavit oculum, nonne videret?"

v. 10. "Qui castigat gentes, annon reprehenderet?  
is qui docet hominem sapere."

Hjob. XII: 7. "At vero interroga belluas, & eru-  
dient te;

aut cœlestes volucres, & rem tibi exponent:

aut terram alloquere, & erudiet te,

immo rem tibi enarrabunt pisces maris."

Pf. CXXXV: 16. "Os habent, sed non loquuntur,  
oculos habent, sed non vident:  
aures habent, sed non audiunt,  
atque nullus est spiritus in ore ipsorum.

In triculis usitatissimus est hic Parallelismus Syn-  
tacticus:

Pf. CXXXV: 6, 7. Quicquid vult Jehova, facit,  
in cælo & in terra:

in maribus atque omnibus abyssis.

Ascendere facit nubes ab extremitatæ terræ,<sup>1</sup>

fulgura cum pluvia facit:

educit ventos e thesauris suis b)."

Jes. L: 5. "Dominus Jehova aperuit mihi aurem,

& ego non rebellavi,

retro non recessi."

Pf. LXXIV: 9. "Insignia nostra non videmus c),

nos

---

b) Simili imagine utitur VIRGILIUS *Æn.* L. I, 56:

— — — "Hic vasto rex *Æolus* antro

Luctantes ventos tempestatesque sonoras

Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat."

& v. 64 &c. "Sed pater omnipotens speluncis abdidit  
atris,

Hoc metuens: molemque & montes insuper altos

Imposuit, regemque dedit, qui foedere certo,

& premere, & laxas sciret dare jussus habenas."

c) h. e. ceremonie nostræ sacræ (tempore *Macchabæorum*  
interdictæ) abrogatæ sunt.

non est amplius propheta,  
neque est apud nos, qui sciat, usque quo."

In præceptis morum edendis non numquam similitudinibus & comparationibus utebantur Hebræi, quo sensum suum clarius exprimerent vel illustrarent, atque ob oculos quasi ponerent regulam, observatu dignam, exemplo e rerum natura petito, e. c.

Prov. III: 12. "Quem enim Jehova diligit, eum red-  
arguit,

& tamen sicut pater filium, acceptum habet."

Prov. X: 20. "Argentum probatum est lingua justici:  
cor impiorum parvi est pretii."

Prov. XVI: 32. "Præstantior est longanimis quam  
fortis:

& cohibens animum suum, quam qui urbem capit."

Prov. XIX: 13. "Ingratus est patri suo filius stultus:  
& stilla continuans litigiosa uxor.

Ad hanc classem quoque referrem ornatum illum Poëticum Hebræorum, quum numeros definitos pro indefinito adhibent.

Prov. VI: 16. "Sex sunt quæ odit Jehova:  
& septem abominatur."

Prov. XXX: 18: "Tria hæc occulta d) sunt mihi:

&

---

d) Alii *admirabilia*. Primaria autem notio verbi נִסְתָּרִים vide.



& quattuor non intelligo" &c.

v. 27. "Sub tribus (rebus) trepidat terra:

& quattuor perferre non valet" &c.

Job. V: 19. E sex periculis te eripiet,

& in septimo te malum non attinget."

Pf. LXII: 12. "Semel locutus est Deus:

Bis etiam illud audivi, quod robur sit Deo."

Plura vero exempla afferre, non vacat nec opus; si enim per infinitas formarum varietates, Parallelismum persequi vellem, vereor, ne tædium lectoribus, si qui fuerint, pareret voluminis amplitudo.

§. V.


Formulis Parallelismi, me quidem iudice præcipuis, breviter jam expositis, addere liceat, quid lucri parallelismus membrorum nobis, pandectas sacras interpretaturis, apportet; licet ex altera parte fatendum sit, difficile sæpius esse, Parallelismum eruere, membraque accurate adeo discernere, ne nimium alteri membro tribuamus, alterum diminuendo. Quod quidem nobis concedat quisque, cui notum est, operam *Hugonis de sancta Caro*, *Biblia in ver-*

---

tur fuisse scidit, abscidit (cfr. Arab. *Ḥ*), inde remotus fuit, occultus, ideoque mirabilis fuit,

versiculos dividētis, arbitrariam omnino fuisse, atque sæpius maximam prodere ignorantiam. Atque idem fere valet iudicium, de opera Masoretharum, quæ sæpe inutilis est, quin immo valde noxia & ad confusionem ducens, quamvis alias laudanda cura & sollicitia hac in re laborarunt e).

Ad usum itaque Parallelismi quod attinet, loca sunt quamplurima, ubi Interpreti, ope Parallelismi, inter plures vocis cujusdam significationes, aptissimam eligere datur, & nonnunquam usu rariorem usitatori præferre, præcipue in Parallelismo Synonymico & Antithetico. Hinc neque probare possumus versionem Alexandrini, qui in membro posteriore Jes. XXVI: 14. habet: οὐδὲ ἰατροὶ οὐμὴ ἀναστήσουσι f); vox enim רפאים h. l. non significat *medicos*, sed *mortuos*, petita significatione a verbo רפה, *flaccidus, remissus fuit*, quoniam respondet voci מתיים in membro priore.

Pf. CV: 22. vox מתיים non vertenda est: *erudiret* sed *coërceret* vel *frenaret* coll. r. Arab.  *capistro fre-*

e) Cfr. LOWTHS *Elaias*, neu überfetzt von KOPPE, Leipzig 1779. p. 28, 29. & EJUSD. *de S. Poëfi Hebr.* p. 388.

f) Vulgata fideliter alias Ejus vestigia premens habet; *Gigantes*.

frenavit camelum, quoniam respondet τω ἄρῃ in membro priore, quo indicare vult poëta, malos Principum conatus cohibendos esse.

Pf. XXXIV: II. vocabulum כפייים vulgo g) *leunculos* significare putant; sed coll. r. Arab. كُفْرٌ *ingratus fuit, benefactorem non agnovit, in Deum non credidit, impius fuit, & Syr. كُفْرٌ synonymo; sine dubio h. l. vertendum est per impios, quoniam ex oppositione membrorum respondet vocibus: רְשָׁעִים הֵי הֵם quærentes Jehovam.*

Uterius juvat Parallelismus ad verum sensum vel vocis vel membri cujusdam eruendum, in locis, ubi indirecte altero membro dicitur, quod alterum directe enunciat. ex. gr.

Jef. III: I. עֵצֶן & עֵצֶן הָאֵלֶּה h) vulgo *baculum,*  
E sci-

---

g) LXX habent: πλουσιοι, VULGATA: *divites*. ABEN ESRA: Leunculorum nomine, *divites, aliorum oppressores*, significari cenfet. ROSENMÜLLERUS in Scholiis ad h. l. "Nihil (inquit) in Psalmis frequentius, quam ut David vel hostes suos vel in genere quosvis impios *leones* indigite?" &c.

k) Formam masc. & fæmin. simul adhiberi, quo res omnis & tota indicetur, omnium unanimi liquet consensu.

*scipionem* exponunt *i*), qua tamen versione sensum Prophetæ haud exprimunt; sed si conferantur hæc verba voci יִשְׁׁרָאֵל (*sustentaculum*) in membro posteriore, primariamque verbi יִשְׁׁרָאֵל notionem respexeris, oppido pater, sensum Auctoris fuisse: Judæos auxilio prorsus destitutos fore

Porro ope Parallelismi, rite distingvere possumus Poëmata Hebræorum in cœmmata & membra, quod quidem Masorethis, ut jam antea observavimus omnibus locis haud contigit. Sic ex. gr.

Pf. XVII. nemo non videt versum גִּזְרֵי, prota-  
fin, versum vero גִּזְרֵי, Apodosin constituere; unde neque sejungendi sunt, ut a quibusdam perperam factum.

Pf. XXII: 32. præeunte Alexandrino: καὶ ἀναγγελοῦσι, τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ λαῶ τῷ τεχθισομένῳ, ὅν ἐποίησεν ὁ κύριος, vulgo vertunt: "venient & indicabunt justitiam ejus populo nascituro, quia fecit;" quo quidem pacto difficile erit explicare, quid jam significatum voluerit Aucter, vocabulis hisce separatis: "quia fecit" vel ut habent ὁ ὅ: "quem fecit"; nodus vero hicce facillime solvitur, modo cum MICHA-  
ËLE.

---

*i*) LXX: ἰσχύοντα καὶ ἰσχύουσιν, habent, quæ verba VULGATA vertit: *validum & fortem*.

ĒLE & aliis vestigia ejus prementibus, membra sic distingvamus:

"Venient & nunciabunt benevolentiam Ejus,  
populo nascituro, quod hæc fecerit."

Nec tamen MICHAËLI, sine urgente necessitate vulgarem vocis מַחֲוֵי significationem respuenti, suffragamur, cum eadem retenta, æque clarus sit hujus commatis sensus.

Denique Parallelismus dubiæ haud raro inservit lectioni corrigendæ, ubi nimirum ceteræ membrorum partes sibi vel repetitione ejusdem sententiæ vel antithesi, quadam respondent, præsertim si nullus aut minus commodus sensus, retenta lectione vulgata emergat, Versionesque antiquæ, ansam nobis præbeant, textum mutandi. Cum vero in constituenda vera lectione, sagacissimi haud raro hæreant Criticorum, satius duco, levem suspendere operam, quam otiosas proponere conjecturas.

Præterea observandum est, regulas tamen insufficientes esse, sed maxime valere gustum vel sensum quendam poëticum, sæpius repetita lectione librorum Veteris Testamenti Poëticorum acquisitum. Ceterum caveamus oportet, ne Parallelismum, ubi locum habere non potest, urgeamus; sunt enim loca,

ea, imprimis in libris Historicis, ubi non datur Parallelismus, vel saltim in observandis Parallelismilegibus negligentiores fuere Poëtæ Hebræorum, in quibus si Parallelismum absolute exactum quæsieris, vim certe intuleris auctori turpissimam. Regulis namque anxie nusquam hærent Poëtæ, sed inspirante phantasia, leves, instar nubium, circumvehuntur, undique colligentes, quæ ad suum pertinuerint usum. Quod si autem de aliis, frigidiores incotentibus plagas, Poëtis, illud ferre possumus iudicium, valebit profecto de Orientalibus, quorum phantasia longe est vividior & audacior.

---